

gidam respirare desiderant, cum rubore faciei & pulsu febrili, atque inquietudine. Si exspuunt, spumum falsum habent, idque modicum admodum & tenue, in principio potissimum, apparet. Phthisis in principio difficulter, in progressu facilius cognoscitur, sed difficulter curatur & hecticam habet conjunctam, cum absorptione partium solidarum, respiratione difficili, in appetentia & lassitudine spontanea. Vomica quando tussum procreat, interdum spiritus male olet, & quandoque cruor cum tussum excernitur, corpus vero grave est, & respiratio laboriosa. Quæ vero per consensum oritur tussum, illa imminuto morbo, qui eam fovet, etiam minuitur, & aucto, incrementa facit, & solis pectoralibus non facile tollitur. Qui vero vitio stomachi tussum, vehementius, illo repleto, laborant, quam vacuo, & alia symptomata circa scrobiculum cordis & regionem stomachi observant, atque de iis conqueruntur. Si ex inflammatione vel abscessu hepatis, vel lienis excitatur, eorum signa junguntur, imprimis tumor hypochondriorum, cum dolore & signis febrilibus. Si vermes adsunt, dolores ventris lancinantes & acuti excitantur, nec non anxietas, palpitatio cordis, corporisque tremor, quandoque animi deliquium, ut & convulsiones, atque somnus inquietus. Quandoque